

Band IX., Nr. 3448, Seite 25-26

Graf Konrad von Vaihingen übergibt dem Kloster Maulbronn Güter und Rechte in Hohen- und Nieder-Haslach.

Vaihingen, 1285. Mai 14.

Cum humane condicionis fragilitas instabilis sit et infirma, rationi consentaneum esse videtur ea diligenti scripturarum memorie commendari, quorum oblivio potest tractatus hominum necessarios et utiles infirmare. Noverit igitur tam presens etas quam futurorum successura posteritas, quod nos Cunradus comes de Veiingen facto venditionis contractu cum . . abbate et conventu monasterii de Mullenbrunnen Cisterciensis ordinis Spirensis diocesis dedimus eisdem de voluntate unanimi et consensu Heinrici fratris nostri et Adelheidis sororis nostre bona subscripta, videlicet septem librarum Hallensium redditus in ambabus villis Haselach et in terminis earundem et insuper molendinum inferius iuxta villam inferiorem Haselach, quod singulis annis duas libras Hallensium solvit, libere et absolute iure proprietatis perpetuo possidenda, renuntiantes per presentes omni exceptioni et iuri, que vel quod nobis super undecim iugeribus vinearum ad dictos abbatem et conventum spectantium competere videbatur ex eo, quod vinum earundem vinearum ad nostra putavimus esse torcularia in vindemiis deducendum. Preterea etiam renuntiavimus et in presentibus renuntiamus omni actioni, quam contra dictos . . abbatem et conventum habuimus de ipsorum torculari in Haselach ex eo, quod ipsum torcular aliquantulum spatii, quod ad communitatem ville spectare videbatur, credimus occupare, donantes eisdem . . abbati et conventui de bona voluntate et consensu totius universitatis villarum in Haselach viam circa dictum torcular et circa ortum adjacentem quiete ac libere iure proprietatis perpetuo possidendam, dantes etiam eisdem . . abbati et conventui in proprietatem perpetuam totam aream, quam ipsa domus torcularis occupavit, ad quemcumque etiam spectare videatur, ab omni onere advocatie precarie sive cuiuscumque exactionis de bona voluntate et consensu dicte universitatis in perpetuum quietam liberam absolutam. Nec de cetero per ipsos villanos vel per ipsorum posteritatem in premissis omnibus debent nec poterunt dicti . . abbas et conventus aliquatenus molestari, ad quod ipsa universitas se et suos posteros in principio huius contractus fideliter obligavit. Huius rei testes sunt: Albertus de Nivern, Fridericus de Gomeringen, Her[mannus] de Sachsinheim, Dietherus de Lomersheim, Ludewicus de Wihingen¹ milites, C. de Sterrinvels libere condicionis vir, dominus Waltherus

¹Enzweihingen, Vaihingen an der Enz, LB.

II

plebanus in Haselach, Albertus pastor ecclesie in Veihingen, Diemo scultetus, Albertus Kaltisen, Diemarus, Burchardus dictus Bomeiz cives in Veihingen, Ulricus dictus Hemminger scultetus et tota universitas ville in Haselach et alii quam plures fide digni et honesti. Ceterum in omnium premissorum maiorem evidentiam et memoriam iugiter retinendam presentes dedimus litteras sigillo nostro et venerabilis patris domini . . . abbatis de Mulinbrunnen, nobilis viri Erkingeri senioris de Magenheim, nobilis viri Ulrici de Branburc², Her[manni] de Sachsenheim, Alberti de Nivern, Ditheri de Lomersheim militum sigillis diligentius communitas.

 Actum in Veihingen, anno domini MCCLXXX quinto, feria secunda in pentecoste.

—

Nach dem Original.

 7 teilweise stark beschädigte Siegel 1) des Grafen Konrad von Vaihingen, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 2892 (WUB, Bd. VIII, S. 177). 2) Siegel des Abts von Maulbronn, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 2236 (WUB, Bd. VII, S. 159). 3) Siegel des Freien Ulrich von Magenheim, vgl. Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 2843 (WUB, Bd. VIII, S. 149). 4) ganz zerbrochen, Siegel des Ulrich von Bromberg, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 3242 (WUB, Bd. VIII, S. 395). 5) Siegel des Hermann von Sachsenheim, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 3318 (WUB, Bd. VIII, S. 440). 6) Siegel des Albert von Niefern, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 3446 (WUB, Bd. IX, S. 24). 7) Siegel des Dieter von Lomersheim, vgl. die Siegelbeschreibung zu Siegel Nr. 3241 (WUB, Bd. VIII, S. 394).

²Bromberg, Sachsenheim, LB.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 502 U 1085

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Vaihingen

Ortsindex:

Bromberg Wohnplatz (1136)
 Bromberg, Sachsenheim, LB
 Enzweihingen Wohnplatz (1115)
 Enzweihingen, Vaihingen an der Enz, LB
 Gomaringen Wohnplatz (16114)
 Gomaringen, Tü
 Großsachsenheim Wohnplatz (1139)
 Großsachsenheim, Sachsenheim, LB
 Hohenhaslach Wohnplatz (1141)
 Hohenhaslach, Sachsenheim, LB
 Lomersheim Wohnplatz (7065)
 Lomersheim, Mühlacker, PF
 Magenheim Wohnplatz (1899)
 Magenheim, Cleebronn, HN
 Maulbronn Wohnplatz (7043)
 Maulbronn, PF
 Niederhaslach Wohnplatz (1147)
 Niederhaslach, Sachsenheim, LB
 Niefern Wohnplatz (7091)
 Niefern, Niefern-Öschelbronn, PF
 Speyer, SP
 Sternenfels Wohnplatz (7106)
 Sternenfels, PF
 Vaihingen an der Enz Wohnplatz (1130)
 Vaihingen an der Enz, LB